



**Commentariorum ac disputationum, in tertiam partem divi
Thomae tomi quinque**

Priorum vigintisex Quaestionum eius Partis expositionem complectens

Suárez, Francisco

[Köln], 1617

Sectio prima. Vtrum hic Deus, vt abstrahit à personis diuinis, possit
naturam creatam assumere.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93775](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93775)

Secundo potest accipi ratio huius congruentiae ex fine v-
nionis, qui est impletio predestinationis, eorum scilicet, qui
preordinati sunt ad hereditatem celestem, quae non debetur
nisi filiis secundum illud Roman. 8. Si filij, & heredes. Et ideo
congruum fuit, ut per eum, qui est filius naturalis, homines
participarent similitudinem huius filiationis secundum ado-
ptionem: sicut Apostolus ibidem dicit: Quos praesciuit, & pre-
dest. confor. fieri ima. filij sui. Tercio potest accipi ratio huius
congruentiae ex peccato primi parentis, cui per incarnationem
remedium adhibetur. Peccauerat enim primus homo, appe-
tendo scientiam: ut patet ex verbis serpentis promittentis ho-
mini scientiam boni & mali. Vnde conueniens fuit, ut per Ver-
bum vera sapientia homo reduceretur in Deum, qui per inor-
dinatum appetitum scientiae recesserat à Deo.

Ad primum ergo dicendum, quod nihil est, quo humana
malitia non possit abuti: quando etiam ipsa Dei bonitate abu-
tur. secundum illud Romanorum 2. An diuitias bonitatis
eius contemnis? Vnde etiam si persona Patris fuisse incarnata,
potuisset ex hoc homo alicuius erroris occasionem sumere:
quasi Filius sufficere non potuisset ad humanam naturam re-
parandam.

Ad secundum dicendum, quod prima rerum creatio facta
est à potentia Dei Patris per Verbum. Vnde & recreatio per
Verbum fieri debuit à potentia Dei Patris; ut recreatio crea-
tioni responderet: secundum illud Cor. 5. Deus erat in Christo
mundum reconcilians sibi.

Ad tertium dicendum, quod Spiritui Sancto proprium
est, quod sit donum Patris & Filij. Remissio autem peccato-
rum sit per Spiritum Sanctum tanquam per donum Dei. Et
ideo conuenientius fuit ad iustificationem hominum, quod
incarnaretur Filius, cuius Spiritus Sanctus est donum.

De hac re iam disputatum est, & litera nulla indi-
get expositione.

DISPUTATIO XIII.

In quatuor sectiones distributa.

De termino assumptionis ex parte persona assu-
mentis, in quaui incarnatione
possibili.

Ad tria capita potest reuocari dispu-
tatio, scilicet ad naturam diuinam,
ad personas diuinas, & ad personas
creatas: de natura enim creata, sup-
positis ijs, quae de natura diuina di-
cemus, nihil dicendum supererit. Rursus personae
assumentes comparari possunt, vel plures personae
ad vnā naturam, vel vna persona ad plures natu-
ras: praeter has vero nulla comparatio aut questio
videtur possibilis.

SECTIO I.

Utrum hic Deus, ut abstrahit à personis diuinis pos-
sit naturam creatam assumere.

Hae questio non eo modo pertractanda est, quo
ad Thomam disputatur art. 3. in sensu condicio-
nato ex hypothesi impossibili, nam illa nullam ha-
bet difficultatem, & sufficiunt, quae Sanctus ibi do-
cuit, sed versabitur in alio sensu in litera subnotato,
scilicet, an hic Deus prout nunc est diuinis personis
quiddam commune naturam creatam per proprie-
tatem absolutam, & communem terminare possit.
Duplitter autem intelligi, fieri id posse; vno mo-
do ut vnio fiat primo & per se ad hunc Deū, ita prae-
cise, ut non fiat ad proprietates relatiuas, ut sic, nisi
tantum ratione absoluti, ad eum modum quo nunc tres
personae diuinae viuunt in substantia absoluta

Fr. Suarez. tom. 1

& non in relatiuis. Secundo modo, ut licet vnio pri-
mo fiat in absoluto, consequenter tamen fiat etiam
in omnibus personalitatibus relatiuis: hoc secun-
dum pendet ex alia questione infra tractanda ubi
decidetur. De priori igitur instituitur disputatio.

In qua est prima sententia negans esse possibilem
talem modum vnionis. Alens. 3. p. q. 2. memb. 3. & q. 7. mem. 1. art. 3. Bonauen. in 3. d. 1. art. 1. q. 3. & d. 5. art. 1. q. 4. Fundantur in hoc, quod ipsi negant subsisten-
tiam absolutam in Deo: non potest autem intelligi
vnio naturae humanae ad diuinam, nisi in aliqua sub-
sistentia. Quae opinio supposito illo fundamento o-
ptime procedit, atque in Conciliis & Patribus fun-
damentum habet, quia non agnoscunt aliam vnio-
nem substantialem inter naturam diuinam, & crea-
tam, nisi secundum substantiam, quia in vnā na-
turam coniungi non possunt, ut supra ostensum est:
aliud autem genus vnionis substantialis, nec à san-
ctis Patribus est cognitum, nec facile fingi potest. Ve-
runtamen absoluta substantia immerito negatur
Deo, ut supra late probatum est, sed Capreolus in 3.
d. 1. q. 1. ad argumenta contra quartam conclusio-
nem, quamuis admittat substantiam absolutam,
negat tamen hanc vnionem esse possibilem: existi-
mat enim illam substantiam ut sic, non posse esse
sufficientem rationem terminandi naturam crea-
tam, sed oportere, ut sit quasi modificata, & consti-
tuta in esse incommunicabili per relationem, & in
hoc est probabilis haec sententia, cuius fundamenta
infra videbimus, & fauet illi D. Tho. indicans natu-
rae diuinae non conuenire assumere nisi ratione per-
sonae, ut videretur hic art. 2. & art. 3. ad primum &
secundum, & questione sequenti artic. 5. ad primum.

In alio tamen videtur Capreolus, non satis conse-
quenter loqui, ponit enim, ut supra vidimus dupli-
cem dependentiam naturae creatae assumptae à per-
sona diuina, alteram quatenus per eius personalita-
tem subsistit, alteram quatenus per illius existentiam
essentialem, & absolutam existit, quoniam ergo
prior dependentia terminari non possit, nisi ad re-
lationem immediatam, cur non posset fieri secunda
sine illa priori? Atque adeo assumi natura humana,
non ad subsistendum, sed ad existendum per ipsum
esse essentiae diuinae? Et haec obiectio procedit contra
omnes Thomistas, qui dicunt humanitatem as-
sumi, non tantum ad subsistendum, sed etiam ad ex-
istendum. Sed fortasse aliquo modo respondere pos-
sent, ut iam dicam.

Dico ergo primo: Natura diuina abstracta à re-
lationibus, si praecise consideretur, ut natura, seu ra-
quam forma nullam habens propriam, & singula-
rem substantiam, non potest, ut sic intelligi assu-
mere naturam creatam. In hac omnes fere Theolo-
gi conueniunt, & eam conuincunt Alexand. & Bo-
nauentura, tum quia talis vnio naturarum non pos-
set esse, nisi in natura, quia ex naturis ut sic, imme-
diatè inter se vnitis, & non in aliqua natura, vel sub-
sistentia, quid posset resultare, nisi natura? cum non
posset resultare persona, nec aliquid subsistens; tum
etiam, quia nihil posset natura diuina, ut sic com-
municare humanae naturae, quia non posset illam
informare, neque essentialiter constituere in esse en-
tis talis speciei, vel rationis, quod est munus naturae,
ut sic.

Dices: Natura diuina sic concepta intelligitur ha-
bere esse existentiae, ergo posset illud communicare
naturae creatae, & trahere illam ad existendum suo
esse. Ego facile respondeo hoc genus vnionis omni-
no implicare contradictionem, quia impossibile
est, ut aliqua entitas realis existat per existentiam,
vel entitatem realiter à se distinctam, sicut impossi-
bile est, ut aliqua entitas per entitatem à se distin-
ctam, in esse entitatis constituatur; quia, ut saepe di-
xi, nihil aliud est per existentiam constitui, quam
formaliter fieri entitatem actualem. Thomistae vero
Cc respon-

Obiectio.
Responsio.

Obiectio 2.

respondere possent, vel sequendo opinionem Caietani dicentis constitutionem suppositi esse priorem existentia, quia per personalitatem fit persona capax existentia: hinc enim fieri videtur naturam creatam non esse capax existentiae diuinæ, nisi præintelligatur personata personalitate diuina, alias deberet præintelligi personata personalitate propria, & consequenter inassumptibilis, & incapax existentiae alienæ, vel sequendo opinionem Capreoli, scilicet in creaturis personalitatem esse existentiam ipsam substantialem, nam inde fieri videtur, non posse impediri sub ratione existentiae, nisi impediatur sub ratione personalitatis, atque adeo non posse trahi naturam creatam ad existentiam alienam, nisi simul trahatur ad aliquam personalitatem.

Dico secundo. Natura diuina, ut intelligitur abstracta à tribus personis, & esse hic Deus subsistens propria & singulari subsistentia absoluta, & essentiali, potest immediate assumere naturam creatam, illam terminando per subsistentiam essentialem præcise. Hæc est communior sententia Theologorum, in 3. distinct. 1. Sco. q. 2 §. Ad questionem igitur Durandus, quaest. 1. Richard. art. 1. quaest. 4. Gabr. quaest. 1. art. 3. dub. 4. Okam qu. 1. Caietan. hic art. 3. quem recentiores Thomistae sequuntur. Ratio vero est, quia, posita illa subsistentia, quam supra esse probauimus, nulla est ratio, cur non possit esse sufficiens terminus assumptionis, quia in ratione subsistendi non est minus perfecta, quam subsistentia relatiua, neque est vlla ratio, ob quam necessario requiratur incommunicabilitatem, ut possit esse ratio terminandi, vel sustentandi naturam creatam, ut constabit soluendo omnem apparentem repugnantiam, quæ hic potest confingi.

Prima est, quia cum hæc subsistentia absoluta sit omnino idem cum relatiua, non videtur posse communicari, & vniri humanæ naturæ, quin vniantur relatiue, sicut si in Deo esset vna tantum persona, non posset assumere naturam ad subsistentiam, quin assumeret ad personalitatem, quia essent omnino idem, sed non sunt nunc minus idem: sicut etiam è contrario, non potuit nunc vniri subsistentia relatiua Verbi humanæ naturæ, quin consequenter fuerit vnita naturæ, quæ est idem cum illa. Sed ex hoc capite nulla sine dubio ostenditur repugnantia, nam quamuis esse absolutum, & relatiuum in Deo, & in vnaquaque persona Trinitatis, sint idem in re ipsa, nihilominus communicat Pater Filio esse absolutum, & non suum proprium esse relatiuum, & similiter Pater & Filius Spiritui sancto, ergo simili modo non repugnat tres personas communicare suam subsistentiam absolutam naturæ assumptæ, non communicando relatiue, ut sic. Vnde non esset eadem ratio, si intelligeremus in Deo esse tantum vnā personam, quia tunc subsistentia ipsa esset essentialiter incommunicabilis alicui personæ, & ideo non posset communicari naturæ assumptæ, nisi prout in re esset, scilicet ut incommunicabilis: at vero nunc reuera datur in re ipsa subsistentia communis multis personis, quæ in suo essentiali conceptu non includit incommunicabilitatem, & ideo ut sic potest communicare naturæ creatæ.

Quocirca licet nunc hæc subsistentia, & relatio ita idem sint, quemadmodum essent, si persona Dei tantum vna, & absoluta reperiretur, tamen non eodem modo: tunc enim essent adæquate idem, & conuertibiliter, quia cum quocunque esset idem natura, esset idem persona, & è contrario, nunc vero non ita est, sed cum aliquo est idem natura, & non persona, & ideo alicui potest etiam communicari subsistentia communis naturæ, cui non communicetur persona. Denique ex mysterio incarnationis prout factum est, potius confirmari potest, quod dicimus, quia licet subsistentia absoluta, & relatiua sint idem, nihilominus relatiua est ratio terminan-

di, & non absoluta ut sic, sed solum ut includitur in relatiua. In quo etiam est inter illas notanda differentia de seruiens proposito, nam absoluta includuntur essentialiter in relatiuis, relatiua autem, non ita essentialiter includuntur in conceptu absoluto, & ideo facilius intelligi potest subsistentiam absolutam vniri naturæ creatæ, non vniri relatiuis, ut sic, quam è contrario.

Secunda ratio repugnantiae sumi potest ex parte subsistentiae absolutæ, quatenus communicabilis est, videtur enim impossibile, esse naturam à parte rei subsistentem, & non esse vltimo terminatam per subsistentiam incommunicabilem: tum quia alias daretur hic homo à parte rei, qui non esset persona, quod non videtur intelligi posse, tum etiam quia talis subsistentia, cum personalitas non sit, propriam personalitatem humanæ naturæ impedire non posset: tum præterea, quia humana natura tantum videtur capax personalitatis, ut sic, quia tota dependentia eius est in subsistendo personaliter, & incommunicabiliter, tum denique quia alias daretur vnio media inter vnionem in natura, vel in persona, quod non solum est contra Dium Thomam in tota hac materia, sed etiam contra communem modum loquendi Patrum, & Conciliorum, ut videre est in Concilijs Toletan. VI. & XI. in principio, & alijs supra citatis, vnde Ansel. lib. de incarn. Verbi, c. 4. arguens contra eos qui asserbant, si Verbum incarnatum esset, necessario sequi, alias personas esse incarnatas, dicit eos necessario ponere vnionem factam esse in natura, sentiens non posse esse aliam vnionem tribus personis communem.

Sed hæc omnia nullam apparentem repugnantiam sufficienter ostendunt, quia cum illa subsistentia absoluta vera sit, & realis, imo perfectiori modo includat modum essendi in se & per se, quam omnis alia subsistentia, non est cur negetur ex propria ratione absoluta sine consortio relatiui, ad terminandam & sustentandam alienam naturam sufficientem esse, nā licet ipsa non sit incommunicabilis, tamen in re semper ac necessario est communicata personis incommunicabiliter subsistentibus, & ideo sicut non repugnat hunc Deum realiter communicabilem multis personis, subsistere à parte rei communicabili subsistentia, in re tamen non distincta à persona incommunicabiliter subsistente, ita non est cur repugnet hunc hominem esse à parte rei subsistentem per communicabilem subsistentiam, existentem tamen in eisdem personis incommunicabiliter subsistentibus.

Vnde ad primam difficultatem respondetur, hunc hominem in eo casu, non esse quidem personam ex vi illius subsistentiae, quæ præ se humanitas terminatur, sicut neque hic Deus, ut sic, est persona, ut supra dictum est, tamen in re ipsa esset Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, & quælibet harum personarum ex vi huius vnionis esset homo (ut præcedenti disputatione contra Durand. dictum est) quia illa subsistentia communis intime includitur in omni persona, & ita in rigore nullam daretur indiuiduum humanum, quod non esset persona.

Ad secundam difficultatem respondetur, per vnionem humanitatis terminandam ad huiusmodi subsistentiam, necessario impediri seu excludi formaliter personalitatem propriam, quia hic modus existendi in alio, tanquam in sustentante, formaliter repugnat cum propria subsistentia. Neque ad hoc refert, quod subsistentia illa, ad quam terminatur hic modus vnionis, sit communicabilis aut incommunicabilis: quia illa repugnantia non prouenit ex incommunicabilitate subsistentiae, ad quam fit vnio, sed ex ipso modo vnionis, & veluti existentie in alio, præsertim quia ratio subsistendi prior est, quam ratio personæ, seu quæ ratio incommunicabiliter subsistendi, & ideo impedita subsistentia creata sub priori ratione subsistentiae consequenter impeditur

Dem per
subsistentiam
absolutam
potest assu-
mere.

Secus.
Durand.
Gabriel.
Okam.
Caietan.

Obiectio 1.
ex identita-
te subsisten-
tiarum.

Respons.

Obiectio 1.
ex commu-
nicabilitate

Angl.

Respons.

Sec.
Ric.
Alf.
Pal.
Bon.

tur sub ratione personalitatis, & prout in re ipsa existit.

Vnde ad tertiam difficultatem respondetur, verum esse humanitatem naturam suam, seu secundum capacitatem naturalem non esse capacem subsistentie communicabilis, tamen inde non fit, per potentiam obedientialem non esse capacem illius, quia alias illius subsistentie diuine esset capax, quia naturaliter illam non postulat, cum ergo humanitas per capacitatem obedientialem terminabilis sit subsistentia infinita, & hic non appareat specialis repugnancia, erit etiam terminabilis hac subsistentia, quæ dicitur supplere vicem propriæ personalitatis, quoad rationem subsistentiæ, non vero quoad modum incommunicabilem, sed altiori modo, in time scilicet se communicando tribus personis incommunicabiliter subsistentibus.

Ad quartam difficultatem respondetur, hanc unionem esse ad modum illius, quam vocant Sancti in persona, quia est in subsistentia, ut ipsi etiam loquuntur, & quia per illam quilibet persona diuina fieret homo, & subsisteret in duplici natura, hæc enim vocant Sancti, unionem in persona, quia loquuntur de hoc modo unionis, prout factus est: factus est autem in substantia incommunicabili. Denique hæc unio non fit ad componendam vnā naturam, sed potius ad componendam vnum aliquid cum singulis personis, licet non secundum personalia, sed secundum subsistentiam communem illis. Ad Anselmum verò specialiter respondetur (quoniam non oportet omnes rationes esse formales, & efficaces) vim tamen illius rationis esse hanc, ex unione in subsistentia non posse inferri esse commune omnibus personis, quia talis unio ex genere suo fieri potest in proprietate personali, & ideo non potest ex eo solum, quod unio sit substantialis, inferri esse commune omnibus personis, nisi supponatur talis unio esse essentialis, seu in natura, & hoc sensu recte Anselm. contra hæreticos concludit.

Alia difficultas offerebat se hic ex eo, quod essentia non potest videre sine personis. Sed hæc expedienda est eodem modo, quo similem resoluimus disput. præced. sect. i.

SECTIO II.

Virum plures persone diuine possint simul assumere eandem naturam.

Suppono, quamlibet personam posse assumere naturam creatam, de hoc enim nulla potest inter Catholicos esse controuersia, supposita fide incarnationis, quia non est maior ratio de vna persona, quam de alijs. Deinde sumo ex præcedenti sectione, tres personas posse assumere eandem naturam, terminando illam aliquo termino, seu subsistentia communi, quia non posset hic Deus assumere, quin omnes tres personæ saltem hoc modo assumerent, ut ostensum est. Quæstio ergo superest, an tres personæ possint assumere eandem naturam, terminando illam proxime & immediate per subsistentias relativas, siue illam simul terminent per subsistentiam absolutam, siue non: hoc enim nihil potest variare quæstionem, suppositis quæ in superioribus dubijs dicta sunt.

Est ergo prima sententia negans posse hoc modo eandem naturam assumi à pluribus personis. Tenet Scot. dist. i. q. 2. §. Ad quæstionem igitur Richard. art. 1. q. 3. Albertus, quæst. i. art. 10. Palud. vero q. 3. art. 2. æque probabilem esse putat hanc & contrariam sententiam, & citatur pro hac sententia Anselmus, de cuius sensu circa litteram D. Tho. satis dictum est, citatur etiam Bonaventura in 3. d. i. art. 2. q. 3. Sed ut constat ex fine illius quæstionis, potius ibi docet contrarium, & in reliqua parte quæstionis solum explicat, & confirmat sensum Anselmi. Fundamentum huius sententiæ esse debet, quia implicat contradi-

Fr. Suarez. Tom. 1.

ctionem, quæ vero esse possit hæc contradictio, infra videbimus.

Dicendum tamen est, posse plures personas assumere eandem naturam, & terminare illam proprijs subsistentijs relatiuis. Hæc est communior sententia Theologorum cum D. Thom. hic Alens. 3. part. qu. 2. memb. 4. Altisiod. lib. 3. sum. tract. 1. c. i. q. 6. Henric. quodlib. 6. q. 7. Marfil. in 3. q. c. art. 3. Okam. q. i. art. 3. Gabr. distinct. 1. q. i. art. 3. dub. 3. Almai. q. i. art. 3. consentiunt Capreolus, Caietanus, & omnes Thomistæ. Durandus etiam distinct. 1. quæst. 3. eandem tenet sententiam; quam bene tractat, & confirmat: sed in hoc singularis est, quod affirmat non posse tres personas assumere hoc modo eandem naturam, nisi prius intelligatur assumere illam hic Deus, ut abstrahit à personis: sed nititur falso fundamento, nam idem putat dicendum de quacunque vnione, facta etiam in vna persona tantum, & ideo, ut supra vidimus, idem affirmat de incarnatione, prout facta est. Sed hoc sufficienter in superioribus est confutatum. Illo ergo omisso, fundamentum huius sententiæ est illud, quod D. Tho. attulit in art. 6. quod sufficientissimum est, & ibi satis explicatum, sed attingo breuiter: tres enim personalitates diuine, quantum est ex parte earum, possunt terminare eandem naturam, ut patet in natura diuina, sed ex parte naturæ assumente, nulla est specialis repugnancia, ergo.

Dicitur fortasse, esse repugnantiam ex parte naturæ humanæ, quia finita est: nam diuina propter infinitatem, est capax trium subsistentiarum, & ideo natura finita non videtur habere tantam capacitatem, sicut personalitas diuina potest terminare plures naturas, tamen quia hoc conuenit illi ex infinitate sua, creatæ personalitati conuenire non potest, ut infra dicitur. Respondetur, diuinam essentiam esse, & ex natura sua, tria supposita postulare, hocque illi ex infinitate conuenire: similiter ita esse in illis, ut cum singulis eorum omnino idem sit cum perfectissima vnitatem, & simplicitate, & ideo neutrum horum posse conuenire naturæ creatæ. Si autem tres personæ assumerent eandem naturam creatam, neque illa natura esset idem cum personis assumentibus, sed substantialiter coniungeretur illis: nec illi modus subsistendi esset illi connaturalis, sed per gratiam, & omnipotentiam assumentis communicatus, ipsa natura non repugnante, quia cum ipsa sit in potentia obedienti ad quamcunque personalitatem diuinam, & alioqui inter ipsas personalitates diuinas in ordine ad subsistendum, vel terminandum naturam, formalis repugnancia non fit, aut oppositio, eadem ratione erit in potentia obedienti ad omnes illas personalitates, etiam simul terminantes: neque est vlla ratio, cur ad hoc infinita perfectio, seu capacitas requiratur. De illo vero exëplo, quod adducitur de personalitate finita, & infinita suo loco dicemus, nunc paritas negatur, tum quia cum personalitas sit actus naturæ, maior perfectio requiritur ex parte personalitatis, ut terminare possit, quam ex parte naturæ, ut possit terminari: tum etiam quia ex parte personalitatis creatæ est specialis repugnancia, ut non possit esse terminus alienæ naturæ, ut infra videbimus. Vnde personæ infinite proprium est, non solum terminare plures naturas, quia plures sunt, sed etiam quia proprium illius est, naturam extraneam terminare.

Sed obiecit secundo Scotus quia repugnat eiusdem effectus dari plures causas totales, simul concurrentes, ergo repugnat eandem naturam simul dependere à multis personis, quia dependeret ab vnaquaque, tanquam à toto, & ad æquato termino. Respondet Caiet. negando consequentiam, quia dependentia à termino alterius est rationis, quam dependentia effectus à causa: & hæc est prioris generis, & non posterioris, in illo autem genere dependentiæ à termino, non repugnant vnum æque dependere à mul-

Cc 2 tis